



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. I. Conclusio negativa statuitur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

peccatorum; aliàs dixisset Christum resurrexisse propter justificationem nostram, ut peccata remitterentur, non verò ut in novitate vite ambularemus. Huic expositioni favet Augustinus in Enchirid. cap. 52. dicens: *Quemadmodum in illo vera mors facta est, ita in nobis vera peccatorum remissio facta est. & quemadmodum in illo vera resurrectio fuit, in nobis vera justificatio est.* Ubi justificatio comparatur resurrectioni, per quam acquiritur nova vita: & hoc quia justificatio principaliter consistit in renovatione interiori hominis.

ARTICULVS III.

An sola gratia habitualis sit causa formalis justificationis?

41. **V**azquez hic disp. 203. cap. 3. & sequentibus, affirmat actum contritionis & charitatis habere in seipso vim justificandi formaliter; & licet de facto nunc omnes qui justificantur, recipiant habitum gratiae, tamen quia solum definitum est ab Ecclesia, justificationem fieri in nobis per justitiam inhaerentem; & quæ dicuntur de gratia inhaerente, possunt etiam intelligi de ipso actu contritionis, satisfieri Ecclesiae definitioni, si in his qui sunt capaces contritionis, ipsa contritio dicatur esse causa formalis justificationis.
42. Hæc sententia communiter rejicitur à Theologis, asserentibus actus charitatis & contritionis perfectæ, esse quidem proximas dispositiones ad obtinendam remissionem peccatorum, non tamen causam formalem justificationis impij, sed id soli gratiæ habituali convenire. Imò Suarez tomo 1. in 3. p. disp. 4. sect. 8. censet illam opinionem Vazquezij esse temerariam, & Tridentini doctrinæ parùm consentaneam. Sunt tamen aliqui, qui Vazquem excusare, ejusque doctrinam temperare, & benignâ interpretatione emollire conantur, dicendo ipsum non loqui de facto, sed de possibili, & solum velle actum contritionis vel charitatis de lege extraordinaria, & per ordinem ad potentiam Dei absolutam, esse posse formam justificantem in adulto, qui extra sacramentum per actus contritionis & charitatis justificatur. Sed hæc interpretatio menti hujus Authoris apertè contradicit; ille enim 3. p. tomo 1. disp. 2. cap. 6. num. 66. hæc scribit: *Memini autem contritionis, quia in adulto qui justificatur extra sacramentum, magis certum est eum justificari contritione, quam gratiâ habituali, ut ostendimus 1. 2. disp. 203. cap. 3.* Quibus verbis apertè declarat Vazquez, quid senserit in prima secundæ, & inquit se sensisse, adultum extra sacramentum justificari contritione, & hoc esse certius, quam quod justificetur gratiâ habituali. Ut confutetur hæc sententia, & vera causa formalis justificationis declaretur, sit

§. I.

Conclusio negativa statuitur.

- D**ico igitur, actus contritionis vel charitatis non esse causam formalem justificationis, sed id soli gratiæ habituali competere.
43. Probatur primò: Actus contritionis vel charitatis est dispositio ad formam justificantem: Ergo non est ipsa forma justificans. Consequentia patet: forma enim non est dispositio ad seipsam; cum inter dispositionem & formam exerceatur aliqua causalitas, subindeque inter illas reperitur

A realis distinctio. Antecedens verò docetur communiter à Theologis, præsertim à D. Thoma hic art. 1. & 8. & de verit. quest. 28. art. 8. ad 1. & 2. colligiturque ex Tridentino sess. 14. cap. 4. dicente, *Contritionis motum preparare ad remissionem peccatorum, si conjunctus sit cum fiducia divine misericordie.*

Dices cum Vazque, Concilium per contritionis motum intelligere contritionem illam imperfectam, quæ dicitur attritio.

Sed contra primò: Concilium ibi loquitur de contritione quam justificatio ipsa consequitur, si ve cum reali susceptione sacramenti, si ve in voto; Sed extra realem susceptionem sacramenti, justificatio non consequitur ad attritionem, ut de se constat: Ergo Concilium per contritionis motum non intelligit contritionem illam imperfectam, quæ dicitur attritio.

Contra secundò: Concilium ibi loquitur de contritione quovis tempore necessaria ad remissionem peccatorum, ait enim: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius:* Sed attritio non fuit quovis tempore necessaria ad veniam peccatorum; nam ante legem Evangelicam extra sacramentum non requirebatur, & cum sacramento non sufficiebat: Ergo non loquitur ibi de attritione, sed solum in fine ejusdem capituli, ubi ait: *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehenna, & panarum metu communiter concipitur &c.*

Confirmatur ex eodem Tridentino sess. 6. can. 3. ubi sic habetur: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adiutorio, hominem credere, sperare, aut penitere posse, sicut oportet ut ei justificationis gratia infundatur, anathema sit.* Quibus verbis Concilium expresse docet actus dilectionis & poenitentiae fieri ut justificationis gratia infundatur: Ergo tales actus non sunt ipsa gratia justificationis, nec consequenter ipsa forma justificans; aliàs sensus Concilij esset, quod huiusmodi actus, ut ipsi infundantur, si ipsi sunt forma justificans, quod est absurdum.

Confirmatur ampliùs: Causa formalis justificationis non impetrat veniam & remissionem peccatorum, sed illam formaliter causat: Atqui actus contritionis non causat formaliter veniam & remissionem peccatorum, sed eam duntaxat impetrat, ut patet ex eodem Tridentino, dicente loco supra citato: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius:* Ergo actus contritionis non est causa formalis justificationis.

E Probatur secundò: Habenti actum contritionis promittitur in Scriptura indulgentia & remissio peccatorum: Sed si talis actus esset forma justificationis & remissionis peccatorum, superflua & vana esset talis promissio: Ergo talis actus non est causa formalis justificationis. Major patet ex illo Jeremiæ 3. *Convertimini filij reverentes, & sanabo vos;* & ex illo Isaïæ 55. *Derelinquat impius viam suam, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus;* Item ex illo Psalmi 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Minor verò probatur: Habenti formam superflua & in vanum promittitur effectus formalis illius; cum talis effectus nihil aliud sit quam ipsamet forma, ut communicata subjecto; verbi gratia, si quis

diceret, faciam te divitem, si habueris divitias; album, si habueris albedinem; iuriforia & nugatoria esset talis promissio: Ergo si actus contritionis esset forma iustificans, & remittens, seu expellens peccatum, habenti actum contritionis superfluum & in vanum indigentia & remissio peccatorum promitteretur.

49. Probatum tertio: In iustificatione homo adoptatur in filium Dei, ut constat ex Tridentino sess. 6, cap. 4. unde illud idem quod est terminus formalis spiritualis generationis, per quam filij Dei adoptivi constituimur, est causa formalis iustificationis impij: At sola gratia sanctificans, non verò actus charitatis, vel contritionis, est terminus formalis illius spiritualis generationis, cum illa sola gratia sit participatio formalis naturæ divinæ, ut talis est, & gerat vices substantiæ seu naturæ in ordine supernaturali, ut in Tractatu de gratia declaravimus: Ergo sola gratia habitualis est causa formalis iustificationis.

50. Probatum quarto: Effectus formalis ejusdem semper rationis non potest provenire à duabus formis specie diversis: Sed esse justum, est effectus formalis ejusdem rationis in omnibus; & gratia habitualis specie differt ab actu contritionis & charitatis; cum illa sit qualitas permanens, & in specie habitus, isti verò citò transeant: Ergo non potest provenire à gratia habituali, & ab actu contritionis, vel charitatis, sed à sola gratia sanctificante, quæ est ejusdem rationis & speciei in omnibus iustis, sive illi sint parvuli, sive adulti. Minor, & Consequentia patent, Major probatur. Effectus formalis speciem sumit à forma, imò est ipsamet forma, ut communicata subiecto: Ergo à duabus formis specie diversis, duplex effectus formalis specie diversus provenire debet.

51. Denique suaderi potest conclusio hac ratione: Forma iustificans expellit peccatum in genere causæ formalis, sicut universaliter omnis forma tribuens suum effectum formalem subiecto, expellit formam, aut privationem oppositam, in genere causæ formalis; v. g. calor qui est causa formalis calefactionis, expellit formaliter frigus aquæ; lux quæ est causa formalis illuminationis, expellit tenebras formaliter, non verò efficienter: Sed actus contritionis, vel charitatis, non expellit ab anima peccatum habituale in genere causæ formalis (quia cum tale peccatum in privatione gratiæ habitualis consistat, ipsi non opponitur formaliter) sed solum in genere causæ dispositivæ, quæ ad genus causæ materialis reducit: Ergo talis actus non est causa formalis iustificationis, sed sola gratia sanctificans, quæ talem maculam, seu peccatum habituale formaliter tollit. Unde Tridentinum sess. 6, cap. 7. unicam dicit esse causam formalem iustificationis, nempe iustitiam inherenter, quam Vazquez facit esse gratiam habitualem. Hæc assertio magis patebit ex dicendis articulo sequenti, ubi ostendimus, iustificationem non posse fieri, etiam de potentia absoluta, sine infusione gratiæ, & implicare contradictionem quod aliquis per solum actum contritionis vel charitatis formaliter iustificetur.

§. II.

Solvuntur objectiones.

52. **O**bjicit in primis Vazquez plura Scripturæ & SS. Patrum testimonia, quibus insinuari vi-

Tom. IV.

A detur, dilectionem Dei, seu contritionem perfectam fundatam in dilectione, esse causam formalem nostræ iustificationis: Christus enim Luca 7. dixit de Magdalena: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et Joan. 14. *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Item Proverb. 10. dicitur: *Universa delicta operit charitas.* Et 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Similiter Augustinus de natura & gratia cap. 42. ait charitatem esse nostram iustitiam; & cap. ultimo: *Charitas inchoata* (inquit) *inchoata iustitia est; charitas provelta, provelta iustitia est; charitas magna, magna iustitia est.* Et lib. 2. contra Cresconium grammaticum, cap. 12. dicit quod à peccatis mundamur, sacrificio cordis contriti, id est actu penitentiae.

Sed facile responderetur testimonia illa Scripturæ solum probare, quod dilectione & contritione, ut dispositione ultimâ, iustificamur & sanctificamur, non verò ut causâ formali iustificationis & sanctificationis: effectus enim qui completè procedit à forma, attribuitur etiam dispositioni, quia ab ipsa inchoativè procedit. Similiter verba Augustini intelligenda sunt in sensu causali, non formali; charitas enim causat ut dispositio iustitiam, subindeque iustitia illi proportionatur & commensuratur.

C Adde, actum charitatis vocari perfectam iustitiam, vel sanctitatem, quia cum sit perfectissimus actus gratiæ iustificantis formaliter, in quem illa omnem suam efficaciam, virtutem, & perfectionem explicat, quæ formaliter conveniunt gratiæ sanctificanti, de actu charitatis prædicantur.

Objicit secundo: Iustificatio fit per illam formam, quæ magis opponitur peccato essentialiter considerato: Sed actus dilectionis magis opponitur peccato essentialiter considerato, quàm gratia habitualis; cum in omni statu peccatum importet privationem dilectionis naturalis, non autem privationem gratiæ; nam in statu naturæ puræ fuisset peccatum, & tamen non fuisset privatio gratiæ: Ergo iustificatio fit formaliter per actum dilectionis, non verò per gratiam habitualem.

Respondeo negando absolute Majorem: Iustificatio enim, pro isto statu, non fit per formam oppositam peccato tantum essentialiter considerato, sed debet fieri per formam oppositam illi rationi quam peccatum principaliter importat; peccatum autem, pro hoc statu in quo nunc sumus, importat principaliter privationem gratiæ, quia in statu in quo nunc sumus, ordinamur ad finem supernaturalem; unde peccatum mortale habituale, (de quo tantum hic loquimur) importat privationem illius principij quo ordinamur ad finem supernaturalem, quod principium est ipsa gratia habitualis.

E Alia argumenta probant actus contritionis & charitatis, de potentia Dei absoluta, posse iustificare formaliter: unde commodius proponuntur & solvantur articulo sequenti, ubi de hoc sermo erit.

